

labores, quos dominus papa super illo tractatu sustinuerat, et me rogaret, quod ego quererem et invenirem vias, per quas ille tractatus posset ad optatum finem perducī; et ego sibi caute respondissem, quod non erat meum hoc facere, sed ad dominum papam pertinebat, qui multas bonas vias invenire poterat, si volebat etc.: (13) tandem ad aures aliquorum ex nobis pervenit, quod facta relatione per dictos cardinales et camerarium domino pape de predictis, que eis dixeram in secreto, dominus papa imposuit, quod ad alios fines et aliter loquutus fueram, quam fuisset. De quo ego fui turbatus et non inmerito, et timens, ne defectus relatus causam dedisset domino pape dicendi predicta, alios dominos meos duxi in camera camerarii pape et ibidem coram eis repetiit omnia verba, que super predictis tribus articulis dixeram in secreto cardinali Burdegalensi et ipsi camerario, ut essent michi testes de hiis, que dixeram et ad quos fines dixeram, maxime quia audiveram, quod papa fecerat per camerarium dicta verba scribi et sibi tradi in scriptis. Et nos omnes auditis verbis dicti domini G., audito etiam, quod camerarius concordabat, quod ita, sicut idem dominus G. repetiit coram nobis, et ad illum finem et non aliter dixerat, gavisi fuimus, quia longe distabant ab hiis, que sibi imponebantur dicta fuisse. (14) Et demum die sequenti¹ papa mandavit pro nobis et invenimus in camera sua . . abbatem Sancti Medardi² et camerarium et cardinalem Burdegalensem, et cum sedissemus coram eo, papa per hec verba incepit: 'Guillelmus de Nogareto me requisivit, quod assignarem sibi aliquos secretarios meos, per quos michi significaret aliqua, que secrete rex mandabat per eum. Ego commisi cardinali Burdegalensi et camerario, qui sunt hic. Verba fuerunt magna et de tribus magnis articulis, scilicet de tractatu negotii domini Bonifacii et promotione regis Romanorum et de matrimonio, quod tractatur inter filiam regis Romanorum et filium regis Sicilie. Verum quia abbas, qui est hic, de istis tribus articulis ex parte regis ab alia parte ad me missus cum litteris credencie plura mihi loquutus est et ego scio per relationem camerarii, quod G. de Nogareto vobis dixit omnia, que ipsis cardinali et camerario, qui sunt hic, dixerat in secreto, ideo mandavi pro vobis et pro dicto abbate, ut vobis insimul et per vos Guillelmo de Nogareto et dicto abbati vobiscum responsionem eandem faciam super eis ad vitandum laborem meum, ne super eisdem articulis vobis

1) Noch immer Ende November. Vgl. § 10. 2) Vgl. n. II.